



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Fami de cælo prodigosè succurs[um].

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

& iustitiam eius: & hac omnia adycentur vobis: Nolite ergo solliciti esse in crastinum.

Verùm, vt omittamus diuini panis prodigiosam à Deo præ spirituali fame, largitionem, ex qua vtique spem concipimus, neque panem humanum, cogitationem suam in Dominum iactantibus defuturum, Nonnè fames, si non immodica est, noxios in homine catarrhos exsiccat? Nonnè materiam subducit febrium exæstuationi? Nonnè crapulam dissipat & corrigit stomachum nauseantem? Pingues & adipati ventres quanto sudore præportantur? quanta mole sese mouent? quantis obnoxij sunt anhelationibus? quanto pondere à cursu, immò ab incessu impediuntur? quot morbis prostruuntur? At pinguedinem abstergit, inedia, & cum pinguedine tot mala. Sic etiam corpori prodest fames, cuius malum esse censetur. Sed si extraordinaria est, & à vindice Deo missa, etsi corpora extenuat, eneruat, necat, attamen animo longè conducit magis. Nam si in pœnam missa agnoscitur, emendationem parit: si ideò inducta est, vt cælestem ostendat prouidentiam, gignit fiduciam, reuerentiam, amoremque Dei: si denique data est, vt ij, qui abundant, egentibus opitulentur, ansam præbet exercendæ in proximos charitati.

Igitur ne quis antiquam desisse prouidentiam existimet, narrat Nicephorus circa An. Domini 455. ingentem in Phrygia, Gallacia & Cappadocia, siccitatem, famem, pestem extitisse; longiusque propagatam homines ad noxia & abominanda alimenta, atque inde ad inflammationes, tumores, oculorum amissiones, & subitas mortes perduxisse. Superfuerunt, ex tanta mortalitate, pauci; sed neque his quidem cibus humanus suppetebat. Igitur, cum humana decissent auxilia, seruatrix omnium diuina prouidentia opem miseris attulit, famique subuenit. *Eo enim anno, quo fruges non prouenerunt, alimento aërio eos fouit, sicuti olim veteribus Israëlitis fecisse memoratur. Manna illis, quod dicitur, calitudo demisitens. Proximo autem anno, vt fruges spontè excrescerent, effecit.* Vides hinc prouidentem Dei clementiam, in ipso furore famis & pestis? Vides, quàm verè dictum sit: *Cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Sic, cum deest terra, cælum succurrit, vt ibi potiùs, quàm alibi auxilium quæritemus. Bona fames, quæ facit hominem

IV.

V.

Niceph Calist. lib. 15. c. 10 hist. Eccles.

Habacuc. 3 2.

S. Augustin.
in Psal. 104.

nem Dei esurientem, utilis morbus, qui ad talem medicum ducit. Nam & fames veluti morbus, & cibus est instar medicinae. Immo cum sit fames ex inedia contracta pernicies, inquit S. Augustinus, atq; ita sit in eis, qui eam patiuntur, ut aliquis morbus, ut esse desinat, fit plerumq; per medicamentum: sic & fames sanatur quodammodo per alimentum.

VI.

Ioan. Curo-
pal & ex co
Baron. tom
10. Annal
ad Annum
Domini. 845.
32.

Qualis fuit illa, de qua Ioan. Curopalata hæc refert. Anno Christi 845. cum intellexisset Bogaris Bulgarorum Princeps, mulierem, tenero adhuc filio, & ad sceptrum nondum maturo, Romanis imperare, audacia elatus nuntios ad reginam misit, per quos, se foedera soluturum, atque Romanorum fines inuasurum, superbe minitabatur. Sperabat nimirum insolens animus, apud feminam terrores, pro armis, futuros. Sed Regina nihil humile aut effeminatum cogitans: *Et me, inquiebat, paratam inuenies, ad resistendum in acie, Deiq; nutu superiorem. Si autem (quod absit) victor ipse fueris: hoc quoq; pacto mea erit victoria: Uiceris enim non virum, sed mulierem.* Hæc verba tam animosa, quauis amentata hasta fuerunt potentiora. Nam ijs in ruborem datus Princeps ac deterritus quieuit pristinaque foedera renouauit. Quare ultro citroque legati, inter Reginam & Principem liberissime commearunt. Causa erat, quia ad Reginam quidem legatos misit Theodorus Cuphara cognomento, vir administranda Reip. utilis, qui ea tempestate, in Bulgaria captus detinebatur; Ad Principem autem legati mittebantur à sorore eius, qua in excursionem quadam capta, in regia commorabatur. Hæc iam pridem in suam salutem captiua abducta, Christianorumque religione initiata, & litteras edocta, non desistebat fratri identidem mysteria Christiana commendare, fideique semina in cor eius iniicere. Is tamen iam etiam antea à Cuphara sæpius eadem audiisset, saxeo tamen pectore diuina verba radices agere non sinebat. Quin neque tum manus dabat, quando, inita permutatione, & muliere fratri reddita, ac Cuphara Reginæ restituta, assidue aures illius iisdem admonitionibus pulsabantur. Tanti refert, animos recentes, vel vanitate, vel veritate imbutos esse, & præoccupatos. Cultui Deorum, cui assueuerat à teneris vnguiculis, vsq; ad extremum spiritum inhærendum pertinacissime existi.